

tur, & sub quibus ordine constitutus Sol horarum momenta successivè determinat. Vid. Fig. 7.

§. 9. Inter Circulos horarios ille, qui simul per Zenith & Nadir loci transit, adeoque Circuli Verticalis officio quoque fungitur, præcipuus est, & quod Sol in superiori ejus parte Meridiem designet, MERIDIANUS dicitur, ut P V B O. Fig. 9. Sicut à Sole in inferiore ejus parte medinoctium celebrante, *Medinoctialis* appellari posset, ut O X D P. Fig. 9.

§. 10. Quoties itaque Stella motu suo limitum horum quemcunque, v. g. Meridianum, assequitur, toties mobilis ille Declinationum Arcus cum immobili hoc limite coincidit. Hinc est, quod Meridianus vicem omnium Declinationis circulorum, si Stellæ ad eum promotæ concipiantur, doctrinæ gratiâ subire possit, juxta problema, quod sequitur:

Problema III.

*Cujuscunque Stellæ Declinationem,
itemque Characterem s. Ascensionem rectam,
per globum definire.*

Applicetur Stella ad Meridianum, & imminebit eidem gradus Declinationis quæsitus: Ipse verò Meridianus in Æquatore designabit Characterem Stellæ competentem.

V.

De Situ Locorum Terræ.

I.

Ad eundem præcisè modum puncta seu Loca Terræ singula terrestrem ad Æquatorem, inter utrumq; polum terrestrem medio quoq; loco constitutum, per transversales Semicirculos referuntur, qui sunt vestigia Meridianorum Cælestium, unde Meridiani terrestres appellantur. Quorum primus per notabile quoddam Terræ punctum pro lubitu ductus limitem initialem largitur, à quo Longitudo terræ superficiei computatur, procedendo parallelâ ratione versus ortum, secundum ductum Æquatoris, continuò per omnes Meridianos secundos, donec ad primum Meridianum ex altera parte fiat recursus:

C 2

Ipse